



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm I. Vt Archipresbyter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

tenio, si ex eo, quod Archidiaconus consuetudine diuturna iurisdictionem in Monasteria quaedam intra fines Archidiaconatus sita acquisisset, inde inferre licet, etiam in hoc Monasterium, quod eius iurisdictionem forte nunquam agnouit, aut admisit, ius aliquid competere. Multa hic dicunt Innocentius, & Antonius de Butrio. Breuiter respondeo: Si Archidiaconus in nouem v. g. Monasteria Ordinis S. Benedicti intra districtum suum posita iurisdictionem consuetudine diuturna compararit, iuris praesumptionem esse, quod etiam in decimum Mo-

nasterium eiusdem qualitatis, & inter eisdem fines iurisdictionem habeat: cum de similibus idem ius ceteri debeat, arg. c. cognouimus, 29. q. 2. causa 2. Verum contra hanc iuris praesumptionem admittitur probatio in contrarium: si nimirum Monasterium illud decimum ostendat, quod Archidiaconus iurisdictionem in ipse non exercuerit, vel, etsi voluerit exercere, tamen admissus non fuerit: hoc casu obitare ipsis non debet, quod in alia similia Monasteria iurisdictionem consuetudine compararit, seu praescripserit.

## TITVLVS XXIV. DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

### CAPITVLVM I.

#### Vt Archipresbyter.

##### SUMMARIVM.

1. Archipresbyter praest reliquis presbyteris, *szrbanus est, seu Ecclesie Cathedralis Decanus.*
2. Alij Archipresbyteri sunt, qui Decani & Vicarij rurales seu foranei vocantur, hi delegatam iurisdictionem, & penitus dependentem ab Ordinario habent.

1. Archipresbyter subest Archidiacono, tanquam vicem Episcopi gerenti. Imperat reliquis presbyteris, quorum veluti Dux, seu Decanus est; absente Episcopo Missarum solemnia celebrat, collectam dicit, vel alij dicendam mandat. Ita Isidorus Hispalensis relatus in c. 1. d. 25.

Est autem hic sermo de Archipresbytero ciuitatis, seu ecclesiae Cathedralis Decano.

2. Praeter hunc autem alij sunt presbyteri, seu

Decani rurales, vti Gl. annotauit in c. vlt. hoc tit. Idemque Vicarij rurales, seu foranei appellatur in Clem. 2. de rescript. De ijs communiter docent DD. cum Gl. ibid. yer. foraneo, quod habeant iurisdictionem delegatam, & omnimode dependentem ab Ordinario, a quo arbitrato ipsius deponi possint. Caeterum pluribus Ecclesijs fiunt Decani, seu Vicarij rurales per electionem Capituli ruralis, & ab Episcopo vel Officiali, seu Generali Vicario confirmantur: Ita vt officium & iurisdictionem quandam ordinariam habeant subordinatam Episcopali, iuxta doctrinam Innocent. in c. cum ab Ecclesiarum, 3. de offic. Ordinar. Quamobrem nec priuari seu deponi ab officio possunt, nisi ob crimen mereantur, sicuti dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 20.

### CAPITVLVM II.

#### Ministerium.

Archipresbyter curam habere debet, vt Sacerdotes Cardinales, (id est, qui parochijs

Cccc 2 rochijs